iungit. quo ego uado uos non potestis
uenire. Hoc et discipulis alio loco dixit.
Nec tamen eis dixit in peccato uestro mori
emini. Quid autem dixit. quod et istis.
quo ego uado uos uenire non potestis
modo. Non abstulit spem. sed predixit
dilationem. Quando enim hoc discipulis
dominus loquebatur. tunc non poterant
uenire quo ille ibat. sed postea uenturi
erant. Isti autem numquam quibus prescius
dixit. in peccato uestro moriemini. His
auditis uerbis. quomodo solent carnalia
cogitantes. et secundum carnem iudicantes.
et totum carnaliter audientes. atque sapi
entes dixerunt. Numquid interficiet se
metipsum quia dicit quo ego uado
uos non potestis uenire. Stulta uerba
omnino et insipientia plena. quid enim
non poterant illo uenire quo ille per
exisset. si interficeret semetipsum. numquid
non ipsi erant morituri. Quid est ergo.
numquid interficiet semetipsum quia dixit.
quo ego uado uos non potestis uenire.
Si de morte hominis diceret. quis homo
non moritur. Ergo quo ego uado dixit
non quo itur ad mortem. sed quo ibat ipse
post mortem. illi itaque non intellegentes
ista responderunt. Et dominus ad eos qui
terrena sapiebant. quid ait. et dicebat eis.
Uos de deorsum estis. ideo terrena sapitis.
quia sicut serpentes terram manducatis.
Quid est terram manducatis. terrenis
pascimini. terrenis inhiatis. sursum cor
non habetis. Uos de deorsum estis. ego
de supernis sum. uos de mundo hoc estis.
ego non sum de hoc mundo. Quomodo enim
erat de mundo per quem factus est mundus.
Omnes de mundo post mundum. quia prius
mundus. et sic homo de mundo. Prius
autem christus. et deinde mundus. immo ante
mundum christus. ante christum nichil. quia
in principio erat uerbum. omnia per ipsum
facta sunt. Si ergo erat ille desupernis.
quibus supernis. de aere. Absit. Ibi et

aues uolitant. de celo quod uidemus.
et hoc absit. ibi et stelle et sol et luna.
circumeunt. De angelis. neque hoc intelle
gatis. per illum et angeli facti sunt. per quem
omnia facta sunt. De quibus ergo supernis
christus. ab ipso patre. nichil illo deo superius.
qui uerbum genuit equale sibi. coeternum
sibi. unigenitum sibi. unigenitum sine tem
pore. per quem conderet tempora. Sic ergo
accipe christum desupernis. ut excedas cogita
tione tua. Omnia quod factum est. uni
uersam omnino creaturam. omne corpus.
omnem conditum spiritum. omnem rem quomodo
mutabile. totum excede. sicut excessit
iohannes ut contingeres. In principio erat
uerbum. et uerbum erat apud deum. et
deus erat uerbum. Ego ergo inquit de su
pernis sum. uos de hoc mundo estis. ego
non sum de hoc mundo. Dixi ergo uobis.
quia moriemini in peccatis uestris. Ex
posuit nobis fratres quid intellegi uoluerit.
cum dixit. uos de hoc mundo estis. Ideo
quippe dixit uos de hoc mundo estis.
quia peccatores erant. quia iniqui erant.
quia infideles erant. quia terrena sapi
ebant. Namquid uobis uidetur de
sanctis apostolis. de mundo non erant. Tantum
interest inter iudeos et apostolos. quantum
inter tenebras et lucem. quantum inter fidem
et infidelitatem. quantum inter pietatem
et impietatem. quantum inter spem et despe
rationem. quantum inter caritatem et cupi
ditatem. Multum ergo intererat. Quid
ergo. quia tantum intererat. ideo de mundo
non erant. Si cogites quomodo nati sunt.
et unde uenerunt. quia omnes ex adam
uenerant. de hoc mundo erant. Sed
quid eis ait ipse dominus. Ego uos de hoc
mundo elegi. qui ergo de mundo erant.
facti sunt non de mundo. et per eum
ceperunt ad eum pertinere per quem factus est mun
dus. Isti autem remanserunt esse de
mundo quibus dictum est. moriemini
in peccatis uestris. Nemo ergo dicat fratres

License: cc-by – Sansepolcro, Archivio Storico Diocesano, Archivio Vescovile, Pergamene, busta 3, n.1, 1v – Augustinus Aurelius, In Evangelium Ioannis Tractatus centum viginti quatuor (https://fragmentarium.ms/view/page/F-8zk3/9244/68523)